UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. CXX. Mortifero Scelere Alligati & vel Sacramenta ministraturi, vel concionem habituri, vel Canonicum pensum absoluturi contritionem exticare conentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

ſacrificium pro omnib. ſuis erga nos beneficiis à nobis efflagitat) quo tandem modo externum illud ſacrificium, illud magnorum myſteriorum exemplar præſidenti animo ipſi offerrem, aut quo modo Sacerdotis habitum nomenq́; ſubirem, priuſquàm manus piis actionibus conſecraſſem, priuſquam creaturis ſanè atq; ad creatoris ſolum admirationem, non autem ad detrimentum aſpiciendis oculum aſſuefeciſſem, priuſquam diſciplinæ Domini aures ſatis aperuiſſem? &c.

Miſſæ ſacrificium qua ſanctitate offerendum.

CAP. CXX.

MORTIFERO SCELERE ALLIGATI & vel Sacramenta miniſtraturi, vel concionem habituri, vel Canonicum penſum abſoluturi contritionem excitare conentur.

§. EAndem peccatorum deteſtationem & contritionem in ſe excitent vel Sacramenta adminiſtraturi, vel ſtatas ac Canonicas preces pro ſe ac tota Eccleſia perſoluturi, aut etiam concionem habituri, qui aliquo ſe ſcelere obſtrinxerint. Nam vt eſt Pſalm. 49. v. 26. *Peccatori dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. Tu vero odiſti diſciplinam, proieciſti ſermones meos retrorſum, &c.* Et *Iſa. 1. verſ. 15. Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*, hoc eſt, grauibus peccatis contaminatæ. Hinc & Dauid in Pſal. 65. v. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Dominus.* Siquidem, vt ait Eccl. cap. 15. v. 9. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Imo vt eſt Prou. 28. v. 9. *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. S. Gregor. l. 9. epiſtola 45. Inanis*, inquit, *ſit oratio, vbi praua eſt actio.* In cujus nimirum prauæ actionis affectu homo perſeuerat; nam ſi peccatum deteſtans toto ad Deum animo conuertitur, vt Dauid, Manaſſes, Publicanus, latro, exauditur.